

3
RATIO ET DISCVRSVS
TOTIVS OPERIS
AD LECTOREM.



VEM ADMODVM fieri nequit, ut quis Theologus perfectus euadat, nisi firma prius Metaphysica iecerit fundamenta: ita intellexi semper, operæ pretium fuisse, ut antequàm Theologica scriberem Commentaria (quæ partim iam in lucem prodire, partim collaboro, ut quam primum, Deo fauente, compleatur) opus hoc, quod nunc, Christiane Lector, tibi offero, diligenter elaboratum præmitterem. Verùm iustas ob causas lucubrationes in tertiam D. Thomæ partem differre non potui, easq; primum omnium prælo mandare oportuit. In dies tamen luce clariùs intuebar, quàm illa diuina ac supernaturalis Theologia hanc humanam & naturalem desideraret, ac requireret: adeò ut non dubitauerim illud inchoatum opus paulisper intermittere, quò huic doctrinæ metaphysicæ suum quasi locum, ac sedem darem, vel potius restituerem. Et quanuis in eo opere elaborando diutiùs immoratus fuerim, quàm initio putaueram, & quàm multorum expostulatio, qui Commentaria illa in tertiam partem, vel (si sperari potest) in vniuersam D. Thomæ Summam, perfectæ desiderant: tamen suscepti laboris nunquam me pœnitere potuit, confidoq; lectorem sententiã meam, vel ipso adductum experimento, comprobaturum.

Ita verò in hoc opere Philosophum ago, ut semper tamen præ oculis habeam, nostram philosophiã debere Christianam esse, ac diuinæ Theologia ministrã. Quem mihi scopum præfixi, non solum in questionibus pertractandis, sed multò magis in sententijs, seu opinionibus selgendis, in eas propendens, quæ pietati, ac doctrinæ reuelatæ subservire magis viderentur. Eamq; ob causam philosophico cursu nonnunquam intermisso, ad quadam Theologica diuerto, non tam ut in illis examinandis, aut accuratè explicandis immorer (quod esset abs re, de qua nunc ago)